

strange, since tho the Oyntment may have killed all the Living Creatures, yet it may not probably have destroyed all their Eggs, laid as it were in the Nests of the Skin, from which they may afterwards breed again and renew the Distemper. And upon this account, 'tis very advisable after the Cure is once performed, still to continue the Anointing for a day or two more; which it is the easier to do, because these Liniments may be made agreeable enough, and of a good smell, as particularly is that compounded of the Ointment of Orange Flowers or Roses, and a small quantity of red Præcipitate.

---

III. *Observatio de portione intestini canis fæliciter abscissa,*  
a Joanne Shipton, Chirurgie Studioso.

I Ntestinorum vulnera, crassorum quidem ut plurimum; tenuum verò semper lethalia esse, ab omni retro Antiquitate traditum est.

Acerbam de ijs *Divinus Senex* fert sententiam. Aph. 18. lib. 6.  
Κύσιν διακοπέντι, οὐ ἐγκέφαλον, οὐ καρδίη, οὐ φρίνας, οὐ τὰς ἐντέρους τι ταῦ  
λεπτάν, οὐ κοιλίη, οὐ τις, θανατώδες. Eiusdem etiam lib. Aph. 24. Εστέζων οὐ  
δικούσι τὰν λεπτῶν τι, οὐ ξυμφέρει.

Omnem etiam eis spem adimit *Romanus Hippocrates*, C. *Celsus*, de ejusmodi vulneribus sequentia prædicens, lib. 5. cap. 26. *Servari non potest cui basis cerebri, cui cor, cui Stomachus, cui iocinoris portæ, cui in spina medulla percussa est, cuique aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius intestinum, aut ventriculus, aut renes vulnerati sunt, cuive circa fauces grandes vene, vel arteriæ, præcise sunt. Vix autem ad Sanitatem perveniunt, qui bus ulla parte pulmo, &c. aut ullum intestinum vulneratum est.* Eadem alibi lethalia pronunciat. lib. sc. 7. cap. 16. *Si tenuius. intestinum perforatum est, nihil profici posse jom retuli Latinus in-*

*testinum*



*intestinum sui potest, non quod certa fiducia sit, sed quod dubia spes certa desperatione sit potior : interdum enim glutinatur.*

Quinctiam Faberit. ab Aquapendente Neotericorum in Arte Chirurgicā facile Princeps, ubi rationem, cur modus suendi intestina a Galeno & Paulo omittatur, reddit, eandem sententiam experientiā sua confirmat. *lib. de Operat. Chirurg. cap. 55,* *de modo suendi vulnera abdominis.* Etenim, inquit, *intestinorum vulnus, si aliquid ex tenuibus sit vulneratum, semper lethale est.* quos ego vidi ut plurimum secunda die obijisse, & raro ultra eorum vitam protractam esse. *Crasa autem intestina vulnerata & ipsa periculosisima sunt, sed tamen interdum sanabilia evadunt, ut experientia quotidie comprobat,* &c.

Quid autem plures citare refert? quæ enim Minorum Gentium Authores habent, ex *Coo sene.*

(a quo, cœu fonte percenni,

*Scriptorum Medicis ora rigantur aquis,*)

omnes fere hauserunt: Nec quisquam aut medicus aut æger tam fælix hæc tenus inventus fuit, qui Aphorismi falsitatem propriâ experientiâ potuit evincere:

Equidem haud ignoro *Paulum Barbette* vulnus intestini tenuis aliquando curatum fuisse affirmare; quod etiam *exempli insigni probare se posse ait, Chirurg. part. 2. lib. 2. cap. 11.* Optasse profecto ut Clariss. vir historiam tam raram, tamq; omnibus veterum simul ac recentiorum sententijs contrariam posteris tradidisset, ut ita casūs insoliti circumstantias ante cœulos habentes, certius de eo judicium efformare possemus. Mirandum porrò, imò verò dolendum mihi videtur, inter tot tamq; illustres viros, qui eodem tempore & in eadem civitate praxin excercebant, supellectilem q; medicam observationibus suis adauxerunt, neminem fuisse qui *insignem* curationis hujus successum memoriae mandaverit. Nec vero Clarissimo atq; optimè de Chirurgiâ merito Viro fidem denegamus, nec Aphorismi veritatem contra testis adeò locupletis experientiam in discordia tuemur: Siquidem in Medicinâ nullum adhuc repertum est Axioma tam universale, quod aliquando posteriorum observationes erroris haud arguerint, nec quisquam adeo

adeo omnibus numeris absolutus Medicus extiterit, quem non interdum & falsum esse & fefeller constat.

Intestinorum autem vulnera licet in humano genere periculosisima esse omnes agnoscant, in canibus vero eorum curationem longe minoris esse discriminis atq; negotij sequens experimentum, quod Nov. 20. 1702. feci (præsente D. Gul. Pleabill, Societ. Chirurg. Londin. Custo de Dignissimo. Præceptore meo plurimum honorando, adjutrices etiam manus commodante D. J. Dobyns, Juvene in Anatomicis pariter ac Chirurgicis Operationibus optimè versato,) satis comprobabit.

Cane ex more ligato, vulnus abdomini satis amplūm infliximus proximam intestini Ilei partem extraximus vasa; mēsaraica, quæ eam irrigabant, ligavimus; intestinum transversim duobus locis forfice dissecuimus; ejusq; portionem duos circiter digitos longam abstulimus; tum intestini vulnus futurā pellionum, abdominis interscissā conjuximus; emplastro obteximus; vinculisq; solutis, fasciā obligavimus. Primo ingressū titubare æger, ceuvertigine correptus, debilisq; admodūm esse videbatur; eadem noctebris vomuit. Post aliquot dies suturas aliquatenus laxatas submissis festucis, & circa fila contortis, arctius constrinximus. Postea medicamentis fascijsq; abjectis intra tres septimanas vulneri ipse lambendo cicatricem induxit.

Observatione forsan non indigna videbitur intestini simul ac abscissum fuit, retractio; quod ex utraq; parte resiliens arcteq; se occludens Sphincterem eleganter exhibuit.

Canem deinde post aliquot septimanas, quibus sanus admodum vegetusq; degebat, suspensum aperuimus, partemq; intestini, quā consutum erat, in hypochondrio sinistro (satis longe ab externo vulnere, quod hypogastrio dextro inflictum erat) peritonæo (vid. Fig. lit. f.) firmiter annexum, & in sacculum ampliatum (DDD) invenimus. Omentum etiam (G) ei adhærebat, ut & intestina ibidem pluribus in locis (\*\*ee) sibi invicem adnata erant. Ad cicatricem ab internâ parte (c) accuratius lustrandam, intestinum juxta longitudinem incidi-

cidimus, quo ex uno latere vulneris labia adducta, (D D D) & peritonæo connexa (f) ex altero eadem divisa, proximisq; adjacentium intestinorum partibus agglutinata fuisse apparet; ita ut exteriores eorum tunicæ, internum ab isto latere efformantes parietem, intestinalem fistulam continuarent, cibisq; devehendis commode inservirent, e. e.

Figuram intestini unà cum vicinis partibus Clariss. D. Comper pro singulari sua humanitate accuratissime delineare dignatus est.

Hæc quoniam aliquod rei Medicæ emolumenitum afferre possent, atq; à nemine, quantum scio, hactenus literis consignata essent, perituræ mandare chartæ haud abs reduxi.

*Brunneris* quidem in *Præfatione ad Experim. nova circa Pancreas*, tenuè canis intestinum ad unicam unam cum dimidia sauciâsse se, cane (ægre licet) evadento commemorat.

Fælicius successit eadem operatio Celeberrimo Anatomico D. Comper, qui in *Actis Reg. Societ. Mens. Febr. 1693*, No 208. cani majori intestinum gracile secundum longitudinem divisile, eumq; sine ejusdem suturâ (consuto tamen abdomine) absq; molesto ullo symptomate (idq; vel adhibito, vel omisso decantato tunc temporis D. Colbatch Pulvere Styptico brevi sanasse se affirmat. Neutrū tamen horum intestinum difficiisse, aut quicquam ei abscidisse satis constat.


Observationem prædictis haud alienam exhibit Excellentiss. D. Wallis, *Act. Reg. Societ. Mens. Januar. 1693* No 219. Equus sibi palum saltu infigit; sauciatur ventriculus; accersitur (non nisi post aliquot horas) Veterinarius; ampliatur vulnus; constitutus ventriculus; colligantur leviter abdominis vulnerati labia; immituntur turundæ; paucisq; septimanis sanitas restituitur.

Quanquam autem hæc in brutis experimenta bene succeſſerint, tamen si quisquam tam inhumanus foret, ut scienter, vel tam imperitus, aut infælix, ut inscie, intestinum tenuius homini præcideret, nullus dubito, quin certum ei æque ac peritoso corde lethum inferret. Tenuia enim hominum intestina

stina tantâ fibrarum carnearum compagine haud gaudent, quæ canes natura providè stipavit ; qui durioribus cibis vesci soliti, majori intestinalis fistulæ mota atq; calore, ad chylum elaborandum, faciesq; ( in his pierunq; duriores ) eliminandas, indigere videntur. Etsi verò nobilissima Ars Chirurgica in brutis medendis haud occupata sit, in eis tamen interdùm experiri, quod posteà ad humani generis salutem atq; utilitatem trahat, minimè dignatur : cùmq; intestina canis, portione abscissâ mutilata, coalescere iterum atq; uniri videt ; audentius intestinorum in homine, saltem crassorum, vulnera consuit, optatumq; inde majori cum fiduciâ successum sperat.

## Explicatio Figuræ 5æ.

- A a a. Intestini Ilei pars superior ventriculum versus.
- B b b. Ejusdem pars inferior.
- C. Cicatrix vulneris Intestini ab interiori parte.
- D D D. Intestini divisi labia.
- E. Orificio intestini superius.
- F. Orificio inferius.
- e e e. Partes intestinorum adjacentium exteriores, portionis intestini hoc loco deficientis vicem supplentes.
- f. Peritonæi pars intestino adnata.
- G. Omentum intestino etiam connexum.
- \* \* Intestini, quæ cum altero coalescebat, separati vestigia.
- H H. Aortæ Truncus.
- I. Arteria Cœliaca.
- g. Gastrica dextra.
- h. Gastroepiploica dextra.
- i. Hepaticæ.
- k. Pylorica.
- l. Gastrica major.
- m m. Arteria Splenica.
- K. Arteria Mesenterica superior.
- L. Phrenicæ.
- O. Venæ Portæ Truncus.
- P P. Arteriæ & Venæ per Mesenterium disseminatæ.



*Philos.* Transact. N<sup>o</sup>: 283:

